

Zeitschrift: Archiv für schweizerische Geschichte
Band: 10 (1855)

Quellentext: Achtzehn ungedruckte Briefe von Ulrich Zwingli und Albertus Burerius an Rhenanus
Autor: Zwingli, Ulrich / Burerius, Albertus

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 21.02.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

I.

Achtzehn ungedruckte Briefe

von

Ulrich Zwingli und Albertus Burerius an B. Rhenanus.

Mitgetheilt

von

Dr. D. A. FECHTER
in Basel.

Vorbericht.

Die folgenden 18 Briefe, 17 von Zwingli, 1 von Albertus Burerius, aus den Jahren 1519 bis 1522, habe ich unter des Beatus Rhenanus Nachlasse, welcher in Schlettstadt aufbewahrt wird, im Jahr 1841 angetroffen und habe von den damaligen Bibliothekaren die sehr verdankenswerthe Erlaubniss erhalten, dieselben abschreiben zu dürfen. Da die Vergleichung mit den Briefen Zwingli's in der Sammlung von Schulthess und Schuler zeigte, dass dieselben noch nicht gedruckt waren, so sandte ich meine Kopie, weil ein Supplementband zu der Ausgabe von Zwingli's Werken in Aussicht gestellt war, damals Herrn Pfarrer Schuler zu. Bis zur Stunde hat dieser Supplementband auf sich warten lassen und wird allem Anschein nach nicht so bald erscheinen. Da nun meines Wissens diese Briefe unterdessen durch den Druck noch nicht zugänglich gemacht worden sind, so hielt ich es am passendsten dieselben in das Archiv für schweizerische Geschichte niederzulegen. Dass ihr Inhalt die Veröffentlichung rechtfertigt, darin wird der Leser wohl mit mir übereinstimmen; denn sie enthalten nicht nur manche litterarische Notiz, namentlich manche das Buchdruckerwesen betreffende, sondern auch manche treffliche Züge zu dem Bilde des Reformators, zu dem Benehmen seiner Gegner, der offenen und geheimen, zu dem Streben seiner Freunde und Geistesverwandten. Namentlich müssen die Briefe der Jahre 1521 und 1522

bei der verhältnissmässig kleinen Zahl der Zwingli'schen Briefe aus dieser Zeit nicht unwillkommen sein. — Die Briefe, wie sie in Schlettstadt aufbewahrt werden, sind von Zwingli's eigener Hand geschrieben; Zwingli's Siegel ist an ihnen noch wohl erhalten. Die hier gegebene Abschrift ist diplomatisch genau und behält selbst Unrichtigkeiten bei, wie deren namentlich in den griechischen Parteen hie und da vorkommen.

Neben diesen Briefen Zwingli's werden zu Schlettstadt noch Briefe von andern gelehrten und der Reformation zugethanen Männern selbiger Zeit aufbewahrt. Ich habe aus zwei Briefen des Myconius, welche sich ebendasselbst befinden, Stellen beigegeben, welche auf den Brief Zwingli's (No. 1.) Licht werfen; ferner eine längere Stelle aus einem Briefe des Albertus Burerius, welcher eine werthvolle Schilderung der Thätigkeit Zwingli's und des wissenschaftlichen Lebens in seiner Umgebung enthält. Dieser Albertus Burerius war Amanuensis des Beatus Rhenanus, besuchte im Frühjahr 1520 seine Aeltern in Brugg und machte bei dieser Gelegenheit in Gesellschaft von Simon Stumpf, Pfarrer in Höngg, bei Zwingli einen Besuch. Es ist das jener Burerius, welcher dem Rhenanus bei der Herausgabe des Vellejus behülflich war und jene der editio princeps angehängte Collation des Codex Murbacensis anfügte. Er ging 1521 nach Wittenberg und war ein Zuhörer Melanchthons. 1537 treffen wir ihn als Schulmeister in Nieder-Siebenthal (*inferioribus Septemvallibus*) an.

1.

1519. 22. Februar.

Der folgende Brief ist die Antwort auf den Brief Rhenans vom 13. Februar 1519 in Zuinglii opp. Tom. VII. ep. 6. p. 67. — Mit Zwingli's Brief steht hinwiederum derjenige Rhenans vom 8. März 1519 in Verbindung. Zuinglii opp. VII. ep. 8. p. 69.

Beato Rhenano Ζήγγλιος s. d.

Quod ad nos tam sedulus de *M. Lutherio* scripsisti, gratiam habemus, sed et commodum his diebus *Abbas sancti Joannis* literas cujusdam Wittenburgii studii moderatoris misit, quibus hic illi gratulatur, quod Lutherii scripta legat, hominis vere Christi imaginem referentis; addit item, mox ubi Augustæ a *Cardinali S. Sixti* solverit, recta Wittenburgam redierit, ubi nunc cum maxima omnium admiratione Christum constantissime

εὐαγγελίζῃ, ἔτοιμος καὶ δι' αὐτοῦ σαυροθῆναι. (sic!) Accepimus item a Frobenio munuscula, quae nobis suoapte genio cum placeant, non nihil tamen gratiae illis addit, Frobenii donum esse, cui nos peculiariter scripsissemus, nisi perpetuus scribendi nobis torpor esset insitus negociaque nunquam finienda circumstreperent. Mittimus hanc pecuniam, aureos nummos videlicet quinque, argenteam aliquantam, ex libris contractam; superest pars aliqua librorum, quae ubi in aes liquabitur, item ad eum defluet citra tamen omnem rationem; nam capitulum hoc nostrum familiarium etiam rerum rationem non fert. *Michael Sanderius*¹⁾ hoc cupit, ut primus vel secundus peculiariter seorsimve complicitur asscribis, quantum fas est tenuioribus; tertius et quartus unis operimentis vestiantur, similiter quintus, qui haud dividi potest; sextus item et septimus uno tecto habitare contenti erunt, quod nec octavus et nonus, quorum uterque justum praestabit librum. *Chrysostomi* opera eo modo, quo nobis sunt concinnati, in duas scilicet partes ligentur, caetera *Erasmica* in cartaceos asseres (hültzi Schuriseli). Sed et *Enchiridion* item aliud intra cartas *Matthias*²⁾ arceat pro *D. Henrico Uttingero*, viro humanissimo, Tygurino Canonico. Precium omnium, quum libros mittit, scribat; mittat autem cum carrucario *R^{mi} Cardinalis*, qui jam his diebus ad Alsatiam vina vecturus descendit. *Petrus* autem *Gebvilerus* adventum ejus observabit. Fac, mi Rhenane, ferveat interim opera, ne mora his, quos tantopere permovimus, fastidium generet; pecuniae etiam nulla erit mora, quae vel nunc esset missa, si modus sciretur. Sunt mecum pueri *Claronenses*, qui *Fontejum* audierunt, qui opus habent *Salustio*; eum si *Frobenius* habet, mittat exemplaria 3. *Myconius* et *Paraclesin* et *Compendium Erasmi* leget *Quadragesimali jejuni*³⁾; opus igitur exemplaribus plurimis;

¹⁾ Zuinglii opp. VII. 7. not. 3. p. 68.

²⁾ Der Name eines Buchfiersers und Buchbinders in Basel. S. Br. 2.

³⁾ Licht verbreiten über diesen Gegenstand folgende Stellen aus zwei ebenfalls zu Schlettstadt aufbewahrten Briefen:

Myconius Beato Rhenano XI. Kal. Apr. 1519 »Strenue laboramus in *Paraclesi*, magis strenui laboraturi in *Compendio*, si vivi-

mittantur. Caeterum *Luther* Doctis omnibus Tyguri probatur et *Erasmi* compendium; hoc vero mihi ita, ut non meminerim, tam parvo libello tantam alicubi frugem invenisse. Deus optimus maximus faxit, ut hoc nobile pectus diu spiret, quod nobis tam dulcia in Christi mensa mellaria promat. *Fontejum* admone, ut peste remittente, ut praediximus, pro pueris consulat, et saluta cum omnibus literarum Christique cultoribus. Ex Tyguro Anno MCCCCCXVIII. 8^{vo} Kl^{as} Martias. (22. Februar.)

Adresse: Beato Rhenano Viro vere christiano.

Gen Basel zum Saessel⁴⁾.

2.

1519. 9. März.

Man vergleiche zu diesem Briefe den Brief Rhenans in Zuinglii opp. T. VII. ep. 9. p. 70.

Beato Rhenano Ζηγγλιος S.

Attulit retroactis quidam diebus scedulam, cariss. Rhenane, a Matthia, librorum complicatore, percunctante, suillis an vitulinis tergoribus libri *Sanderi* essent praemuniendi. Parum hoc

»mus. Nihil invenimus quod, non dico, non placeat, verum quod
»non afficiat mirum in modum. Pueri mei nullam omnino lectionem
»lubentius frequentant, nihil audiunt majore voluptate, quam sermonem
»de Christo. Quod equidem argumentum puto evidentissimum boni et
»Christiani animi. Spero ego optime de illis; opto ex pectore, ne ea
»spes me olim fallat«.

In Beziehung auf das Compendium an ebendenselben (Tiguro XIV. Kal. Jul. 1519): »Res cum compendio feliciter succedit. Quantum video
»nihil a me mei audiunt diligentius.«

⁴⁾ Das Haus »zum Sessel« in Basel an der Todtengasse, da wo jetzt die Töcherschule ist, war die Officin Frobens. Andre suchen sie zwar anderswo; handschriftliche Briefe und deren Adressen, wie folgende, setzen die Sache ausser allen Zweifel: »M. Hans Froben, Druckerherrn zum Sessel am Fischmarkt« »Meister Johansen Froben truckerherrn zu Basel in der truckery zu dem sessel.« In dieser Officin waren eben die Gelehrten den Tag über anzutreffen. Rhenan wohnte nicht im Sessel, sondern in dem Hause »zum Rosenberg« in Klein-Basel, scheint aber an Frobens Tische gespeist zu haben. S. No. 12 gegenwärtiger Briefe.

referebat, nisi forte hanc morae quaestionem praetexuit. Quod si libri aduc nudi sint, suillis vestiatur tergoribus; nam Sanderum interea pertedet proximeque rogavit, num protelatio istaec argenti penuria fieret, decem florenos offerens, quos ego recipere nolui, testatus, incommoditatem aliquam intervenisse, non diffidentiam. Itaque homo desiderio debiscit. Te igitur precor, calcar pigriculis indas. Sat habes nunc.

Dedit idem *Sanderus* hisce diebus orationem nobis hominis cujusdam ἀνωνύμου, docti tamen adprobe et festivi, verum descriptoris ignorantia improbe scriptam, quam aliunde quoque missam et per quendam illatinum, omnino non modo ignarum scriptam cum Myconio restituere nitimur vel cuidam integritati. Quod ubi factum fuerit, ad te mittetur; placebit supra modum, adeo est referta scommatis κατὰ τοῦ ἱερέως (sic!) καὶ τῶν καρδινάλιων ἀργυροφιλάτων, ὃ δὲ καρδινάλιος σεδουνήων εἶπε (sic) πρὸς ἐμὲ ἄγχι σχὼν κεφαλὴν: cura, ut prematur per Frobenium. Haec igitur, ubi aliquantisper repurgabitur, tibi mittetur; inde tuo facies omnia arbitratu. Quidam dixit Sanderō, esse Hutteni⁵⁾; si videro Sanderum non egre laturum, mittam clanculum omnem rem vel cum pulvisculo. Hactenus enim noluit alicui homini, quam nobis, credi, immo Myconium ignorat nobis communicare, quod scilicet Magister caeremoniarum fuit in Curia Leonis, μὴ λέοντος. Vale. Salvi sint *Frobenii*, *Amorbachii*, *Fontejus*, omnes nostri, dum tamen *Fontejus* curae pro nobis nihil remittit. Ex Tyguro VII Idus Martii et anni MCCCCXVIII.

Adresse: Eruditissimo viro Beato Rhenano suo Amico.

3.

1519. 21. März.

Vergleiche Zuinglii opp. T. VII. ep. X. p. 70.

Rhenano suo Zinglius S.

Vix, mi Rhenane, ad finem tuam legi epistolam, cum Sanderi famulus appellat, si quid velim Basileam scribere, festinem;

⁵⁾ cfr. Zuinglii opp. VII. ep. 8. Not. 3. p. 69.

nam adesse bajuli occasionem, sed in procinctu stantis. Ego animo, licet avide tua Lutherique legerem, illi Echinum⁶⁾ aut Remoram precabar, donec lectis omnibus, quid scripto usus esset, rescirem. Accepi utramque epistolam gratissime simulque tristissime, quod rescirem, quae prius non admodum ignorabam, at non aequè credebam, quod dolebat, hunc ἀνδροπάρεσπον, aut, si mavis, κόκκυρα in redeuntem Theologiam meditari, quod Francus in Germaniam. Verum Dominus dabit fortitudinem plebi suae. Neque salvabit recte confitentem Judam in quadrigis aut equis, sed in sua misericordia. Omnia adprobe tacebo vel prodam. Christus faxit, ut vel aliqua valeam parte hujus purpuratae meretricis turpitudinem retegere, quo Israel videat, lucem, qui in mundum venit, Christum ab ea turpari, utque possim tuae in me benignitati respondere. Vale et consule omnia optimi; nam haec tonante jejunio ventre et bajulo urgente ita scribimus, ut, an scripserimus nec ne, tuo submittatur arbitrio. Ex Tyguro ipso die Benedicti (21. März) Anno MCCCCXVIII.

Adresse: Eruditissimo Viro Beato Rhenano.

Gen Basel zum Saessel.

4.

1519. 25. März.

Beato Rhenano Zinlius S.

Soleo (quod etiam me tacente ipse non ignoras) omnibus nostris literis, quae maxime usus esset scire, vel quae te maxime delectarent, in alias atque alias differre, optime Rhenane; sed id mihi aequè molestum atque tibi, quem negocia (ferme dixerim anilia) quadragesimalia et rerum turbæ evangelique professio ita distrahunt, ut nullibi esse possim mihi constans aut integer. At quaedam scito. Primum Helvetios nihil minus in votis habere, quam Francum imperio fungi, aut saltem in votis habere simulare; nam malorum sumus interspersi artibus

⁶⁾ cfr. Erasmi adagia Chil. II. Cent. IV. 82.

haud aliter, quam *Panthera maculis*, unde haud temere agnoscas, qui ex pectore aut qui ex animo loquatur. Bonorum tamen pars adhuc longe justior. Wirtenbergio milites adempti sunt, omni hora redeunt, unde jubeo te melius sperare, quam rerum facies jubeat. Reverendissimo *Cardinali* literas tuas⁷⁾ me accumbente *Sanderus* ad tabulam legit; maximi te facit, gratiam habet, amat. *Lutherii* descriptam epistolam non legit, sed quaedam a nobis audiit, quale est hoc, quod utriusque dicta, *Eccii* dico et *Luterii*, in scripta per notarios rediguntur, orbis quoque judicio christiani submittentur etc. Item hoc, quod *Ecceus* (*Eccius*) sua importunitate veluti fato incitatus, quae nondum erant adplicata ad demoliendas negligentiarum (indulgentiarum) praestigias, futurus sit elicere, quae tamen omnia illi ad gustum mire faciebant. Misit hac hora *Urbanus Rhegius*⁸⁾, homo non ineloquens, ad nos libellum quendam a se editum de dignitate sacerdotali. Hui quam eruditum, quam christianum, etiam magnis nominibus refertum! *Eccii*, *Haverii*, *Pauli Lybrock*, *Niclaus Pfriemnd*, *Hans Ambos*, *Scoti*, *Brulifer*, *Durandi*, *Capreoli*, *Fran. Mayronis*, sed et *Erasmi*, ut eum vel tandem digner adponere, tui *Capitonis*, *Capnionis*, caeterorum, ut olores cum anseribus ostentet. Mirati sumus plurimum, quod *Frobenius* ubique vigilans hic dormitarit, quominus suo praelo sit liber excusus. Liber est, ut tandem ad me redeam a risu, a *Fabro* factus, non fabre factus. Verum quid illis cum veritatis claritudine, quorum animos assiduus aulae usus labefactat. *Sanderus* quam primum introspexit: Fabri est, inquit. Legendum poposcit, ut rideat. Ego vero: lege, ride, modo ne me oporteat bonas horas male locare. Fontejum saluta et omnes nostros. 8 Kal. Apr. MCCCCCXVIII.

Adresse: Beato Rhenano viro eruditissimo;
gen Basel zum Saessel.

⁷⁾ Zuinglii opp. T. VII. 1. p. 70. ep. X.

⁸⁾ cfr. Zuinglii opp. T. VII. ep. 7. not. 6. p. 68.

5.

1519. 24. April.

Beato Rhenano Ζήγγλιος S.

Non acepi abs te literas, beatissime Beate, post eas, quibus, quid *Comes a Nova Aquila* a Moguntinis tulerit, indicasti, quas et *R. Domino Cardinali*, ut jusseras, commonstravimus⁹⁾. Prorupit ilico homo in laudem atque admirationem tui, jussitque nos tibi de se polliceri, quicquid usui tibi futurum efficere possit. Laborat homo strenue, ne *Φράγκισκος τῷ Καρόλῳ διαφέρεται*. Similiter *Sanderus*, cujus librorum vecturam tantum non vereor aliquid signi portendere, quod nos hic tot vectoribus conventis, vos illic toties captatis, optata non accipimus. Verum enitamur omnes sedulo, donec occasionem istam ludibundam crinita fronte corripiamus et ferri sinere compellamus. *Matthias* nihil sit anxius, ego me illi vadem et praedem statuo. Putavit *Sanderus*, eum operam suam nimis aestimare, sed tamen temperationi nostrae se submitit. Ego *Matthiae* partes certissime agam nec eum patiar alicubi fraudari praemio, quo dignus est, quamquam ille interea saepe dixerit: O si tantum libros haberem, ego pecuniam lubens mitterem. Cupit et novum testamentum atque id complicatum; ego pariter. *Phalarismus* nondum pervenit ad nos, *Febriculae* autem tantum unum exemplar; si potestis aliquo modo, plura exemplaria mittatis; *Paraphrases* item et *Zasii Apologias* contra *Ecceum* (*Elkkium*) et si quid est, quod nos amoenare queat. Pecuniam nos *Frobenio* intra mensis, ut spero, spacium mittemus aliquantam. *Etimologicon* perpetuo desyderamus, *Plinium*, *Lucianum*, *Cyprianum*, alios, quod tamen *Fontejo* dices, salutato prius eo. *Frobenio* plus quam debeo ob benignitatem in nos locatam, utinam illi quandoque referre liceat. Vale, mi charissime *Maeceenas*; salvi sint *Frob.*, *Amorb.*, *Fabritius Capito*, alii. Ex *Ty-guro* 8 Kl'as Maji MCCCCCXVIII.

Adresse: Beato Rhenano viro amico incomparabili.
gen Basel zum Saessel.

⁹⁾ cfr. Zuinglii opp. T. VII. ep. 13. p. 93.

6.

1519. 2. Mai.

Beato Rhenano Zinglius S.

Jam diu est, cariss. Rhenane, quod abs te literarum nihil accepimus, ni forte amor in te meus impatiens est. Verum nihil succenseo, contentus, si tu idem facias. Nam cum libris *Sanderi*, communis amici, nescio quomodo tandem agendum sit, tot promittentibus, nullis tamen, qui vexerint, hactenus existentibus. *Simon* tamen ille noster sua quoque non deerit opera, quo tandem vehantur, si, dum *Thomas* interim vobiscum est, non vehantur. Novarum rerum nihil apud nos est, quod te scire precium operae arbitrer, quam quod nos multa spe frustrati sumus bibliorum graecorum, quae nos ferme cum dolore desyderavimus, nunciante *Fontejo*, nihil ad vos graecorum librorum allatum esse. Deest etiam nobis in *Hieronymi* operibus tota pagina; nempe in sexto tomo f. 37, ut dudum *Fontejo* indicaveram, nisi forte interciderunt literae; nam nemo est, qui ad ea quicquam responderit. Commendat se tibi *Michael Sanderus*, atque ita commendat, ut tu illi prius sis commendatissimus. Vale et, quae me voles facere, impera. Coelum clemens est apud nos; pestis, nisi animorum, aduc nulla, quare si non displiceat, divertito ad nos, sunt aedes nobis, quibus vel spartanus habitator possit contentus esse casu sic jubente. Ecce habes rem totam, non eam solum autem, sed et nos totum. Ex *Tyguro* 2 die Maii. Anno MCCCCCXVIII.

Salvi sint *Fonteji*, *Amorbachii*, *Capito*, *Fontejus*, quibus Hypocratem aliquem precor, qui ab eis pestem arceat ad sophistas et *ψευδοχριστιάνους*. Rursum vale; nam saepicule id tibi nunc optandum est.

Adresse: Beato Rhenano viro doctissimo Amico
incomparabili.

7.

1519. 21. Mai.

Vergleiche Zuinglii opp. T. VII. ep. 14. p. 74.

Beato Rhenano Zinlius S.

Cum proxime ad me scripsisses, cariss. Rhenane, et, si epistolam legere audissem tuam, non ipse legissem, a quo profecta esset, ἀνώνυμον etiam agnovissem; ita enim dictioni tuae jam assueti sumus et pectoris tui arcanis, ut alium quidem eadem dicentem te tamen mentiri suspicaremur; tam est tibi curae Christus ille germanus, ut non ἀτόπως nos confirmaris in olim instituto praedicandi munere, immo animaris, tametsi supra modum quaedam τραγικῶς elevas nostra. Verum sic facto opus est apud eum, quem non pauci diversis clamoribus terrent, ut, si forte se aliquando abjecturus fuisset, redanimetur locumque suum non deserat. Tua igitur tam fausta, tam fida, tam denique anhela acclamatione id agam, Christo tamen favente, quod olim Horatius ille unicus germanorum et quidem caesarum superstes; quosdam fugiens vincam, quosdam pedem referens. Res tamen non adeo male procedit; in faciem pauci calumniantur praeter unum fratrem, qui me publice prophetam adpellat et Messiam, hocque illi unice dolet, quod nunquam volumus ejus meminisse apud populum vel maledicendo. Hoc nebulones illi a mulieribus jam habent translatitium, succensere scilicet, si tu non succenseas; in absentem alii gladios tantumnon stringunt. Ego vero semper ad hoc Pauli spectare: Si aduc hominibus placerem, Christi servus non essem, atque, ut semel finiam, maxima pars auditorum optima quoque est; qui aemulantur, aut publicitus mali sunt, aut, si externe dealbati, intus ita foetore squalent, ut mediocriter nasutus longe absentes facile tamen olfaciat. Vale et sermoni ignosce; ubi enim semel loqui coram te coepero, fiducia, ut Abraham, incalesco, aegre modum ponens verbis. Salvi sint *Frobenii*, *Amorbachii*, *Capito*, *Simon* quoque, non ille, a quo Domina Simonia nomen accepit; nam eum Romae et in Episcoporum curiis oportet proxenetam beneficiorum contractibus interesse. Hunc

igitur valere, illum salvere jubet. *Sanderus* commendat se tibi, et, ne obliviscaris Novi testamenti, admonet. Ex *Tyguro* XII. Kl'as Junii MCCCCCXVIII.

Adresse: Beato Rhenano amico charissimo.

S.

1519. 7. Juni.

Vergleiche Zuinglii opp. T. VII. ep. 18. p. 77.

Beato Rhenano Zinlius S.

Multa debeo *Frobenio* non unis nominibus, multa praeterea tibi, quod nostrorum (mei dico oviumque mearum) tantam curam alis, ut si quid orbis novi pariat, ut habeamus, sedulo provideas. *Orationis dominicae enarrationem Lutheri* haud vereor nobis displicituram, sed nec vulgarem *Theologiam*, quas in diem absolvi vulgarique promittis; coememus magnum modum, praecipue si de adorandis divinis oratione dominica non nihil tractet; nam nos id vetuimus, perque juventutem nostram; plebs haud immerito solidius firmaretur altero etiam teste; invocationem sanctorum permisimus magis illis, quam ad vivum resecuerimus. Porro de libris hoc scias, *Joacimum Vadianum* nos commentariis suis donasse, cum jam olim e Pannonia domum remigraret; alium velim per *Fontejum* nobis comparari, quisquis is tandem est, quem tu modo commendas. Coepit (sic) consilium Praepositus noster promovendi in graecis literis cum juvenia *Tygu- rina*, quam *Myconius* noster hactenus prima rudimenta docuit, quae quidem nauseam citius generant, si authoris alicujus accessione non condiantur. Velis igitur (nam apud literarum patronum quid non audeas petere?) vel aliquem *Luciani* dialogum per *Erasum* versum, nec tamen interpretatione e regione posita (nam ista pueros ad desidiam detrahit) prelo subdere, si *Frobenio* non sit incommodaturum, vel primum *Aristotelis* de animalibus librum, quem graece candidatis praelegeremus. Commodum autem vidi *Icaromenippum* aliaque *Lovanii*, ut reor, pressa, quae si nobis contingere possent, nimium quam nobis satisfacerent; pueri jam animos succinxerunt.

runt, quos te precor ne frustreris. *Christophorus Clauserus*, Medicus, a Frobenio petit opera *Copi* suo nomine comparari Operam item ejus exuscita; nam ego cum mearum quoque rerum impendio studiis illorum consulo. Caetera Fontejo scribimus hac cedula, ne te oneremus. Res nostrae bene habent, quum ἀντιχειμένους ἔχομεν πολλοῦς (sic), καίπερ ὡς τῷ Παύλῳ ἡ Δύρα ἀνέφυγε. Φράγκος δ' ἀνδ' ἡμῶν λογομάχετε (sic), τὸ τέλος ἀκούσεις ποτέ. Vale et, ut soles, me meaque aequi bonique consulas. 7 Junii¹¹⁾. Salvi sint *Frobenius*, omnes. De *Tacito* intellexi; scribam quandoque.

Adresse: Beato Rhenano vere christiano viro amico incomparabili. Gen Basel zum Saessel.

9.

1519. 25. Juni.

Beato Rhenano Ζῆγγλιος Salutem.

Accepi proximis a te diebus scedulam, quam literarum nomine vix dignaremur, nisi tua fuisset; adeo brevis erat et illarum, quas soles scribere, rerum inanis, ut coegerit nos eam aequi boni consulere, quod nimis forte fortuna negociis implicitus non potueris amplius. Dolet nobis ab officina Frobenii te abesse, si modo abes; nam mihi quidem, dum multa mecum cogitavi, nunquam persuadere potui, ei te posse renunciare operae, quae tantum gloriae non tibi, non universae modo Germaniae, sed christiano orbi vindicat. Nam, ut novi non nihil audias, *Gulielmus*¹²⁾, *Antonii Puccii* a sacris immolationibus, a nobis rogatus, quomodo libri, quos *Puccius* apud Helvetios comparasset, in Italiam vecti fuissent, respondit: commode. Tum ego: ecquid Italis hominibus placerent. Ait omnes

¹¹⁾ Die Jahrzahl ist nicht beigelegt; wenn wir aber den Inhalt des oben angegebenen Briefes von Beatus Rhenanus vom 24. Mai 1519 mit unserm Briefe vergleichen, so müssen wir diesen letztern dem Jahre 1519 zuweisen.

¹²⁾ *Gulielmus a Falconibus*, cfr. Zuinglii opp. T. VII. p. 109. not.

illis supra modum delectari, laudibus non posse satis vehere: decernere, ut Frobenio solum hoc munus mandetur, ut eruditorum operas in eum modum ornet. Scivi, mi cariss. Rhenane, dudum rusticius me tuis rebus interstrepere; at nihil nisi desidia et negocia excuso, per quae oportuit quandoque aliis non scribere, tibi vero oportuit. Tenes rem; consulas igitur optimi. En iterum audemus; quid enim apud te audeam? *Joannes Jacobus Ammanus*, adulescens Tygurinus bono loco natus, *Joannis*, qui apud Basilienses litium scripta facit, ex sorore nepos, olim *Glareani* discipulus, nihil Glareanicum referens, quam eruditionem, homo me hercules summae spei atque adeo commodus et graciosus, ut vultum dignissimum suavitas morum obfuscet, is, inquam, dum Christianorum imperium operitur, quorsum volvatur, ne temere in Italiam veniens aut alio rursum migrare cogatur, apud Basileae doctos merere statuit. Nec aliud abs te cogitare audet flagitandum, quam, dum *Simonem* nostrum aut fors tuos exerceas, eum quoque auscultare permittas; facies, mihi crede, rem Christo teque dignam, ne aliquid tam probae indolis pereat. *Capitonem* dixit *Liechtenbergius* habere *Luciani* exemplar et *Aristophanis*, quem velim, cum domum redierit, convenires, ut nobis vendat. Lutheriana dum absoluta fuerint, quam primum nuncium mittas aut baiulum, qui centurias aliquot ferat, pecuniam illico recepturus; nos tamen statuimus peculiarem nuncium cum equo mittere. Tu, quod tibi magis arrideat, facito. Vale et rem omnem boni consule. Anno MCCCCCXIX. VII Kl'as. Julii.

Adresse: Beato Rhenano vere christiano viro amico
incomparabili.

10.

1519. 2. Juli.

Rhenano suo Zinlius S.

Antevertimus nostro tuum, cariss. Rhenane, consilium in instruendo bibliopola, recte an secus, nec laudi, nec vituperationi dandum, quod ejus hominis nunquam nobis in mentem

venerit, *Myconio* dico et nobis, ignavioris videlicet atque bibacioris, quam cui quid dexterum tuto committi possit, alia tamen vice periclitabimur. Gratiam habeo, quod *Aristophanem* apud *Cratandrum* prodidisti; *Fontejo* pecunia nobis missa est; is rem curabit. *Baldung*, homo, dubites humanior, an doctior, a sacro senatu Caesaris apud nos nunc est *Tyguri*, tui toties memor, quoties eum adeundi datur occasio (datur tamen rarius, quod *Franchelvetiis* calumniari incipientibus: » Ecce hominem partibus adversis deditum, tyrannice nobis imperitantem, apud alios idem factitantem, quod nobis vitio vertit; nam familiariter illiscum loquitur, ludit, coenitat« vitando maledicendi ansam amputari oportuit) is, inquam, miratur nihil ex officina *Frob.* ad eum mitti, id quod olim longe secus factum sit. *Enchiridion* praeterea tantum non imperat *Frobenaldinis* vulgari, quod omnes nunc prae cunctis *Erasmicis* anhelent. Satis ista. *Gulielmus*, de quo nuper scripseramus inter convivandum hoc dixit, cum mentio *Lutheri* fuisset habita: *Dominus praepositus apud S. Petrum Basileae*¹³⁾ scripta *Lutheri*, quam primum fuissent absoluta, *Rhomam* misit. Haec nolui te ignorare, quae alios omnino volo. Salvi sint *Simon*, cui nulla fuit scribendi copia (nam haec quoque scribimus, dum de Christo quid dicturi essemus, cogitatum oporteret) *Joannes Jacobus Ammanus*, *Capito*, alii. Scribet proximis diebus *Baldung*. Vide, ne tibi nova simultas cum *Glareano* confiat, dum *Nervios* putabit abs te *Tornacenses* annotatos, quos ipse ad me scribens pro *Lovaniensibus* posuit. Hactenus lusum tecum sit. *Commentariolos* tuos mihi dedicatos esse¹⁴⁾, quo debeo, ne dubites, accipio animo, haud ignorans, cui accepto ferendum sit. Vale cum *Amorbachiis*. Ex *Tyguro* VI. Nonas *Julii* MCCCCXVIII.

Adresse: Rhenano suo vere Beato.

¹³⁾ *Ludovicus Berus (Ursus)* (cfr. *Ath. Rauricae*.)

¹⁴⁾ cfr. *Zuinglii opp.* Tom. VII. ep. 18. p. 77.

II.

1519. Im Frühjahr.

Unmittelbare Veranlassung zu dem folgenden Briefe Zwingli's mag der Besuch des Albertus Burerius in Begleitung von Simon Stumpf bei Zwingli gewesen sein. Ueber die Verhältnisse des Burerius ist im Vorworte gesprochen. Sein Besuch in Zürich fällt in das Frühjahr 1519; Burerius legt die Erlebnisse während desselben in folgendem Briefe an Rhenanus nieder, den wir zwischen die Briefe Zwingli's einschalten.

Albertus Burerius Beato Rhenano etc.

.... In itinere Hoenchiam diverti, ubi Simonem Stumphum, veterem amicum nostrum, conveni ac salutavi. Postridie una Turregium commeavimus. Introduxit me primum, ut Zuinglium literas graecas istic profitentem audirem, quem semel atque iterum profitentem, sed semel duntaxat concionantem audire contigit. Postquam profiteri desivit, hominem adii et salutavi, atque interim eum negligentiae admonui, quod jam pridem ad te nihil scripsisset. Cum audiret homo placidus idemque humanissimus, me unum e Beati ministris esse, respondit benignissime, se unica epistola expleturum, quicquid hactenus per negotia ecclesiastica intermisisset. Habet frequens auditorium non modo cum literas docet verumetiam cum Evangelium Dei e suggestu proclamat. Graecissat pars una, altera graecatur. Graecissantium autem praecipuus est amicus ille noster, cujus paulo superius meminimus; deinde *Nicolaus Bavarus*, veteranus ille Christi miles, *Georgius Victor* (sic), alias *Binder*, ludi literarii Tigurini moderator egregius, *Henricus Nuischeller*, summi ibidem templi canonicus, et *Henricus Buchter*, monachus, qui tamen praeter morem caeterorum ejusdem ordinis monachorum (est autem ejus ordinis monachus, quorum vestitus picae plumas refert) sic literis illis et earundem professoribus favet, ut summo illos et honore prosequatur et amore sibi devinciat. Hic sodalitium literarium Tigurense semel omne me quoque convivio excepit epulis omnigenis apparato. Sunt alii multi, quos ad unum omnes enumerare longum fuerit, quorum tamen nemo non est, qui literas

istas non cupiat avidissime discere; sed, ut sunt varii ingeniorum captus, pars proficit, pars altera nihil.

12.

. 1520. 17. Juni.

B. Rhenano Zuinglius S.

Potuisses jure stomachari, Beate amiciss., quod tanto jam tempore nihil literarum a nobis acceperis, ni te vetaret, qua praeditus es, summa animi moderatio, non quod nostrae aliquid secum gratiae essent allaturae, quo te frustrari graviter ferres, sed quod homo longe nobilioris notae ultro nobiscum amicitiam inieris, quam ne per somnium quidem appetere ausi fuissetus, ac eam subinde literis creberrimis, colloquio suavissimo firmaveris et ornaveris, nos tamen pertinaci silentio possimus eam fastidire videri potius, quam negligere. Longe tamen secus vides habere rem, quam malefida suspicio suggerere audeat, quam te nunquam audiisse multis signis persuasum habeo. Nihilo tamen minus diuturnum hoc silentium apud te purgare pergam, non certe ut te placatum reddam, qui, si quisquam mortalium, omnia boni consulis, sed ut verecundiam mihi scribendo ipse excutiam, ne immodice tacendo scribere tandem desperem. Primum igitur tabellarios si excusavero, mox insurges, immo ridebis communem hanc satisfactionem; at ne rideas, jubet vafricies Aesopica; nam plane te etiam teste nullus hactenus est nobis tabellarius inventus, qui tibi a nobis literas attulerit. Num igitur recte tabellarios excuso? Jam vero si strepitum negotiorum excuse, urbanitate referies ista, prae ocio non quivisse scribere. Sed haec justa erit excusatio, si ocium fuit tantum, quod prae illo non scripsimus, quod forsantantum fuit, ut ejus fama ad te quoque pervenerit. Has communes causas nunc puto nobis satis superque adesse, quibus taciturnitatem nostram vindicemus. At ne nimis nugemur vel nauseam altiore, atque velimus, moveamus, statuimus autem tam longam ad te scribere epistolam, ut non una, sed altera quoque vice ad nauseam usque (si modo velis legere) legere

cogaris indeque gratiam summam nobis habeas, si perpetuo a calamo temperemus; atque id quidem merito, qui nobis ocium obprobrasti. En tibi ocium nostrum! Videtur hoc tibi ocium, quo rem tibi tam molestam futuram tractamus? Sed rursum coepimus *μωρολογεῖν*. — Ego, carissime Beate, ita sum molestissimis negotiis undecunque circumseptus, ut vix etiam maxime necessariis sufficiam, frequentius alioquin nimirum ac feci ad te scripturus, quocum ut libentissime, ita tutissime nugor. Atque, ut aliqua in re tibi respondeam, non quidem par pari reddens, scribam de communi amico nostro *Conrado Fabro*. Tu tamen de *Sapido* mira et gratissima quaedam narrasti, ad quae postea. Is Conradus cum nuper anxie mecum nugaretur, post multa, quae de te ultro citroque fabulati sumus, veluti coronidem addidit, nihil se magis in te mirari, quam invictam modestiam, qua eum ad sophistas semper respectantem tam comiter tuleris, alto nimirum consilio, nempe tum quidem presentiscens futurum, ut quandoque in universum illis laqueum remissurus esset. Gratulabatur subinde sibi, quod totum se ab his crabronibus vindicasset; recte nimirum ille ac sancte; nam, ut plane scias, homo nil quam sacras literas tractat et super his Origenes, Cyprianos, Chrysostomos, Hieronymos, Ambrosios, caeteros, crebro ingemens (convenimus autem saepe): O infelices horas, quas factorum, credo, iniquitate in his sentibus detrivi! Pauli epistolam ad Romanos suis enarravit cum mira et gravitate et gratia. In fortunam autem amplam successit, nec tantillo factus est insolentior, tam vero liberalis in bonos, ut tantumnon molestus fiat invitando. Hunc talem tibi debemus et ego maxime illius gratia plurimum tibi debeo. Nam quoties auditores mei illum inaudiunt, incipiunt minus mihi indignari, quod alium quoque testem Evangelii audiunt, quod ita exoleverat, ut nemo faciem illius agnosceret, haud secus ac septem illorum, qui tot secula dormisse, plus quam Eumenidis¹⁵⁾ somnum Christianis dicuntur, ne scilicet pigriculis illis deessent sua numina. Sed Deo gratia, per quem servis ejus datur fidu-

¹⁵⁾ Sollte wohl heissen: Epimenidis.

cia in *παρρησία* predicandi evangelium, ut sperandum sit veterum quandoque innocentiam renatum iri, quemadmodum et eruditionem videmus. Quae de *Sapido* scripsisti gratissima fuerunt; gratiae enim, quam ille in carmine habet, olim gustum facientes, saepe sumus homini bene precati; commendo plurimum, quod intra amicitiae terminos tam acriter pro Christo Evangelioque pugnat; ac ut ipse hominem alteri, scis cui, comparasti, ita ego eum puto multis illum parasangis antecedere, ex cujus jam, cum apud nos esset, ore jucundum prorsus nihil audivimus, quam seditiosa quaedam has partes nunc vehentia, illas vero dejicientia, et e diverso aquilas Romanas nunc vultures facit, mox cornices, immo vix cum graculis volitare permittit, et dum vehementius incalescit non modo e rerum natura tollit, sed etiam pingi vetat. Quas autem de *Sapido* concertationes narras, foelicissime nimirum sunt. Admonendus est homo, ne alio contentionum se trahi patiatur, ut, dum sanguis aduc calet et est ad vincendum vehementior, in tam fructuosis se potius exerceat, quam illiusmodi inanibus digladiationibus. Quid enim de *Sapido* aliud speres, quam quod olim sit verus futurus Episcopus, tenax ejus, quae est fidelis doctrinae eruditio, qua possit in sana doctrina et persuadere et adversarios convincere. Nec Episcopum hic nobis dictum putes, ut vulgo solet; nam *Sapidus* cui sorti se aptet, haud scio; sed quemadmodum alicubi *Origenes* eos dicit Episcopos, etiamsi sint uxoribus constricti, qui tanquam in specula multitudinis saluti provideant et gladium imminens prospiciant, bona procurent apud omnes; ita futurum puto et hunc nostrum Episcopum, qui auctoritatem non ex titulis aut olivae unguine metiatur, sed qui sit Christus domini, non diaboli, quales heu multos hodie cernere licet, quibus promptissimum in ore est: nolite tangere Christos meos, quos potius diceris abdomene (sic!) τοῦ κακοδαίμονος oblitos, quam spiritus sancti gratia. An hosce quisquam tam hebes est, qui episcopos dicat, quibus ne una quidem dotium Paulinarum adsit? E diverso quis non eos vocet episcopos, quos *Origenes* pinxit, quibus vulgi salus curae est? quales forsant sunt *Capnion*, *Zasius*, *Bilibald*. *Byrkeimer*, *Rhena-*

nus, *Vadianus*, alii Germaniae, immo Christiani orbis flores et nardi odorem domini spirantes. Quod autem de *Sapido* magna quaedam mihi polliceor, facit munus, quo nunc fungitur, in quo tam diligenter et strenue versari dicitur, ut merito illum cum iis numeres, qui gratiam linguarum et interpretationem dono acceperunt a domino. Genus hominum summe necessarium hoc plane est, nec unquam pro dignitate in honore habitum. Nam unde proventuros vere prophetas et Episcopos facilius et faelicius speres, quam ubi diuturno labore literatus homo plurimos ab incunabulis recte docuerit et educaverit, nimirum coactus, veluti propheta, virtutum specimen prae se ferre, quod verbis toties pingit, ac linguam disertam reddere quotidiana recte loquendi meditatione. Hos ego nostro tempore multis etiam prophetis praefero, quamquam nimirum, si aequa undique portione omnia disposueris, vere propheta vere interprete aut linguis loquente potior sit. Huic, inquam, generi non satis scio an unquam benefactis respondeamus, quales sunt *Melanchthon*, *Gla-reanus*, *Pet. Mosellanus*, *Myconius* noster et hic *Sapidus* aliique innumeri, qui nobis optimae spei adolescentium examina in diem producant, cum interim sacerdotum etiam vulgus eos vel spernat vel negligat, tanquam nihil ad eorum sortem pertineant, cum hi soli sint, qui feroces animos cicurent, cicuratos egregie instituunt, virtutum surculis inserentes. Hac in re diu tecum nugatus sum, sed in ea nimirum, quam putem omnibus, si in eum modum expendant, mire profuturam. Caetera libellos dono missos accepi et reddidi item alios, quibus debui, gratiam subinde habens magnam, maximam tamen pro hac ultima satisfactione Luteri, qua vix vidi aliud ex ejus operibus vel vehementius vel pressius. *Bilibaldus Birckeimer* istis diebus literas ad nos dedit, quibus veretur, ne tibi libellus cum epistola traditus sit anno jam superiore, quod nihil ad eum hactenus scripseris. Quare, si non potes alia ad eum mittere literas via, ad nos mittito; nam bis in anno quidam mercatores ad eum vadunt. Transtulit Luciani Rhetorem et fugitivos, quos etiam ad nos dono transmisit. Sed jam video te connivere, quare canam receptui, ne sopito excidat epistola illa, illa docta

scilicet, quamquam hujus nauseae tu *αἴτιος εἶ*, qui indignationem prae te tulisti, quod diu non scripserim. En tibi epistolam! querere, si placet, postea iterum de taciturnitate nostra! At omnia boni consule et vale. Ex *Tyguro* decima-septima die Junii MCCCCCX.

Adresse: Beato Rhenano Selestadiensi viro doctissimo et integerrimo. Amicorum summo. — Selestad.

13.

1520. 12. Oktober.

Rhenano suo S.

Cum his diebus, cariss. Rhenane, abs te profectam epistolam hilarissime exciperem cum munusculis et ad me et ad alios missis, hoc paulisper indoluit, quod haud plus tribus horis antea ad te literas amandassem per quendam humanarum literarum candidatum deferendas, qui sub Sapido meret. Vereor enim tardius ad te venturas, quippe quod is adulescens ignoret, te Basileae degere, quod et ego hactenus ignoravi. Nunc autem, quandoquidem illic es, cupio te diu illic manere; facilius enim hoc pacto dabitur occasio ad nos quandoque ascendendi, qui te Eremum D. virginis comitabimur ad *D. Geroldseggium* tui videndi cupidissimum, quique non satis potest sibi gratulari, quod epistola Erasmi se donaveris. Venit ad te Jacobus *Κή-πωρος*, adulescens trilinguis, quatenusque nos possumus judicare, omnigene doctus, tui videndi avidissimus. Nam vitam et mores tuos tamquam e numerato ita recensuit, ut mihi opus esset interrogare, numnam tecum aliquando fuisset versatus. Respondit: minime; at ita tuum sibi candorem, tuam eruditionem perspecta esse ab iis, qui vera consuessent de bonis praedicare, ut non possit non dolere, si ei negetur tecum congregandi copia. Eum inter tuos accipias precor; referet plurima de Capnione, de aliis audi tu non injucunda. Praeterea *Hieronymus Frobenius* commodo dederat nobis Euripidem graecum, quem nunc, ut par est, reposcit; spem tamen facit, apud Curionem coemi posse. Mitto itaque flor. 3, ut ipse apud illum

coemat atque liget in ejus locum, quem nos habemus. Quod si id non placet, renunci et benevole hunc suum remitemus et pecuniam ipse patri pendat pro bibliis graecis, quae nobis decem florenis dare indicavit. Hui magni! Sed tu, precor, illum admone, ne mecum agere velit tanquam cum circumforaneo et rudi licitatore; aequum lucrum a nobis recipiat, id quod ipsi ultro semper obtulimus; nam accipio, 6 aut ad summum 7 hunc codicem rudem coemptum quandoque. Utcunque tamen habeat, non remittam, etiamsi 10 pendere oporteat; at hoc tibi dico. Salutat te *Myconius*, *Administrator Eremiti*, *Jo. Faber Vicarius Constantiensis*, qui omnes hoc tempore apud nos sunt. Vale meum decus. Ex Tiguro 4 Idus Octob. XX¹⁶⁾.

Adresse: Beato Rhenano amico carissimo.

Gen Basel zum Saessel.

14.

1521. 8. März.

Rhenano suo S.

Τὰ περὶ τοῦ ἀδελφοῦ γράμματα τοῦ ἐκ τῆς τάξεως καλουμένης τῶν μικροτέρων πρὸς τὸν Σίμωνα πεμφθέντα παρὰ σου (sic) ἀνέγνωκα καὶ ἐν τούτῳ συμβουλεύω αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς πορεύεσθαι. μεταξὺ δὲ γνωρίζω τῷ τοῦ ἐρήμου οἰκονόμῳ ὡς αὐτὸν προσλαμβάνειν ἀξιῶ (sic), εἰ δὲ μὴ, δεήσομαι τοῦ οἰκονόμου ἐν Κυσνάχῳ, ἵνα καιρῷ τινι θρέψῃ αὐτὸν, ἕως ἂν ἡ τύχη δεξιωτέρως αὐτῷ προσμευιδιάσῃ. Caetera Leo noster querelam pacis in linguam germanicam traduxit, quae per Abbatem Monasterii Capellensis ad vos transmissa est, ut typis excudatur. Quum vero Christophorum¹⁷⁾ hunc nostrum in premenda principis institutione diligentem ac vigilantem operam navasse videat,

¹⁶⁾ Im Autographon steht zwar der Name Zwingli's als Unterschrift nicht, für die Beisetzung desselben war kein Raum mehr vorhanden. Die Handschrift jedoch und das Siegel, mit welchem der Brief geschlossen war, geben keinem Zweifel an Zwingli's Autorschaft Raum.

¹⁷⁾ Froschouer.

poenitentia ducitur, quod non id etiam, quicquid est operae, crediderit. Si qua igitur poteris efficere, ut e sinu *Domini Halvilensis*, cui commissum erat negotium, emungatur ac cui diximus *Christophoro* ad premendum tribuatur, rem *Leoni* facturum es gratissimam, id quod ipse illis ipsis diebus, cum apud nos esset, optabat. Mitto *Frobenio* flor. 6, quatuor Testones pro floreno, alios nummos non habui; eos adscribat, ut, cum ad vos descendero, reliquum addam. Descensurus enim sum, postquam *Erasmus* aderit, immo si ipse (quod dii deaque omnes avertant) non venerit, tu vero Basileae maneat, descendam. Alios item 4^{or} flor. mitto *Matthiae*, quos illi pro operibus *Augustini* aduc reliquos debeo. Perceperam, te ad nos venturum, quod futurum sit necne, haud scio; velim tamen proposito non excideres ac post Dominicam Quasimodo, in quos dies *Caesar Helvetiis* conventum ad nostram hanc indixit urbem, ad nos properares cum *Marco* nostro *Theodorino*¹⁸⁾ domique nostrae diverteres et quum liceret Eremum quoque nobis cum multis Tigurinis ac Commendatore nec non Simone, caeteris comitibus inviseres. Ἀτινα ἂν πρὸς ἡμᾶς ἢ γράψῃς ἢ πέμψῃς κρυπτωτάτα ἔσονται. χαλεπὸς δὲ τοῦ διὸς ὁ κεραυνός, διότι εὐλαβεῖσθαι δεῖ. Vale. Ex Tiguro 8. Martii XXI.

ὁ Ζήγγλιος.

Adresse: Rhenano suo, gen Basel.

15.

1521. April.

Rhenano suo S.

Diu nihil literarum abs te accepimus, aliis nimirum iisque gravioribus districto negociis. Secretarius¹⁹⁾ tamen urbis nostrae retulit, non nihil tibi animi esse ad nos cum *Marco* nostro, aliis transcendendi; cave, aliud capias consilium. Scripsit ad nos hisce diebus frater *Aeberlinus Minorita*, cui cum respondere

¹⁸⁾ Marcus Bersius, Pfarrer zu St. Leonhard in Basel.

¹⁹⁾ Er hiess *Myconius*. cfr Zuinglii opp. T. VII. ep. 17. p. 76.

vellemus, febris obstabat; ei itaque refer, literas salvas ad nos esse perlatas. De febre vero scias, nos dei medicique ope levatum. Est praeterea apud vos adulescens quidam, monachus *Göldly*, quem aiunt in *Frobenii* commesse (sic) tabula, tecum nimirum, cujus mores atque studium genitrix ejus per te scire cupit et, ut ad nos perscribas omnem rem, summopere flagitat. Rogo et nobis, et illi morem geras, adolescentem interea recte moneas, si a recto deflexerit. Salvi sint *Frobenii*, *Nepos*, *Ambrosius*, omnes. Habere totas naves tecum conferre, sed nunc non est locus. Vale ex *Tiguro* die Veneris Pascae XXI.

Zuinglius tuus.

Nihil est, quod vereare ad nos scribere; apud nos sunt omnia tuta, postquam Glycerium istud Romanum abiit; imo ipso praesente nihil non tutum erat.

Adresse: Beato Rhenano Amico cariss.

Gen Basel zum Saessel.

16.

1521. 8. September.

Beato Rhenano S.

Dono misit mihi superioribus diebus *Jo. Frobenius Hutteni* querimoniam, hominem apostolicam (homo enim bulla est), Eccium dedolatum et cujusdam lascivientis vituli (Itali) in Lutherum non tam scripta, quam maledicta et vanas quasdam naenias; quem supra modum miror, quisnam sit hominumve deorumve, nisi quantum ex oratione colligo, Juppiter est, qui reliquos deos omneis domi desiderare cogit, ultra inferos abjecturus, qui mutire ausint. Ipse interim solus in throno majestatis caput quatiens et *κύνει γαίων* fulgurat, tonat, omnia miscet. Tantopere visus est mihi *κομποφακελορήμων* (sic) iste insolescere, quantopere vix aliquis. Nam haud satis illi est Luterum convitiis aspergere, nisi et Germanis sese offerat *όδιγόν* (sic) per *Luterum* seductis, scilicet pollicens, ad *λεοφόρον* reducturum, modo sibi illi obtemperent. Quid plura? ita putat Lutherum per ignorantiam authorum, quos ipse colit, hallucinatum, ut

nullam rem illi magis objiciat, quum tamen in hac arena non modo non cederet, sed facessere cogeret. At cedendum est aliquantisper Italico supercilio et fastui, qui nunquam non in sinu sibi canunt *τόσσον ἐγὼ περὶ τ'εἰμὶ θεῶν, περὶ τ'εἴμ' (sic) ἀνδρώπων*; dolet illis, Germaniam se doctiorem fieri. Quamquam et Germanum quendam te celare non possum (eum, cui *Sanderus* amicus noster invidebat librum quendam Erasmicum a *Frobenio* dedicatum, cui per me respondisti auctoritati primum non nihil datum, deinde factum, ut hac potissimum via ad nostras, hoc est ad Christi partes traheretur, quamquam *σαυροφόρος* noluerit unquam vel digitum latum a Scoticis *σκότῃσι* recedere; tenes, scio, rem); qui cum nuper Tiguri nobiscum esset, gratulabundus recensebat, Italum quendam tersissime et doctissime Luterana omnia aut evertisse aut infirmasse. Sed nihil neque fidei neque frontis cum nos videret habere sibi, desiit tandem vulgi mancipium et futilis aurae strepere. Ac dum hunc libellum in manus capio, primo intuitu (sic) video, quod res est, eum esse, quem ille canebat. Narra itaque, si quid habes, numnam Luterus sit se ab eo vindicaturus (nam hoc facile fuerit, quandoquidem leviter iste sua firmat) anne doctorum aliquis coetus illum picturus sit, ut *λαῖον* istum dedolaverunt. Vale et omnia boni consule. Tig. die Nativitatis XXI. Ann. Quingentes.

Adresse: Doctissimo Viro Beato Rhenano vere Christiano fratri carissimo: Gen Basel.

17.

1522. 25. März.

S. Scribis ad me parcius atque ego vellem, humanissime Rhenane, neque, ut arbitror, epistolarum parsimonia rem facis. Nam quae jactura fuerit, schedam huius nostrae parem absumere? praesertim quum videas, nos, cui res est angustior, nec cartis nec tibi, quem invitum cogimus haec nostra legere, parcere, tametsi haud parvi referre putamus, si minus ad te scriberemus; non quod hac in re, quam mox audies, ipsi aliquid possimus,

puta vel sententiam dicere vel *χειροτονεῖν*, sed quod summa saepe negocia ab humilibus pependere plus quam summates ipsi crederent, et a pastore saepe didicit imperator, qua parte posset exercitum citra periculum in locum tutum subducere. Est itaque ea res, quam tantopere celo, ista. Accepimus paucis ante diebus, duellum inter Erasmum atque Lutherum futurum; propendent enim omnia ad dissidium; stimulari hunc a Wittenbergensibus, ut adulatorem aliquando prodat, illum a Rhomanensibus, ut hereticorum sibi damnosissimum exstinguat: quae res quantum mali datura sit Christianis, conjectura non opus habet, sed ob oculos tibi scio jam versatur, ut, cum facta fieret (quod deus avertat), clarius cerni non possit. Scis enim, quanta ab utriusque parte stent copiae, quantaque sit utriusque vel pugnandi vis, vel eludendi solertia. Non contingent illi, ut reor, moderati isti *Budaei* ac *Stapulenses*, huic vero non infantes *Latomi* ac vani *Eccii*. Est apud utrumque, quod nobis prodesse poterit plurimum, quod obesse minimum. Judicat uterque gnaviter et graviter; est tamen utrique quiddam peculiare (quod citra invidiam tamen dictum volo), quod si alteri adfuerit, jam is illi comparari, nedum aequiparari non queat. Quin ista nobis per partes cur non servat uterque? itan' placet eis salvis non esse nobis? At quam tandem Helenen domum reducent? Amabo, prudentissime Rhenane, clam cum Pelicano nostro et aliis doctis apud Luterum, clam apud Erasmum rem componite; apud hunc praesenti ore, illum literis. Scimus, utrumque cedendi nescium; scimus Ulyssem consiliis Aiace fuisse semper superiorem; at secuta est hunc non minor gloria, ac nescio an illius non sit quibusdam suspectior. Capis me, satis scio. Offenduntur apud nos quidam epistolis quibusdam Erasmi, quod non candide de Lutero sentiat. Ego vero an recte sentiant, nec ne, nec legere possum nec judicare. Melius tamen utrumque velle puto rei Christianae, quam, quod multo sudore, infinitis vigiliis jam longo tempore pepererunt, rixando pereat et altercando maturiores foetus impediantur. Venerunt ad me hisce diebus haec ad *Erasmum* literae atque aliae ad sacrificulum quendam S. Petri, quas precor differri

cures; faceres nobis rem omnium gratissimam, si jam anno sese mutante ad nos cum Erasmo concederes. Quod si minus ipse induci potest, tute venias, priusquam te litium Argentoratensium voragines absorbeant. Opto te in Christo valere. Salvos vero opto *Frobenios*, *Amorbachios*, *Zuickios*, omnes tamen post *Buschium*, quem precor animes, ut paulo liberius cum Erasmo contendat; hactenus enim visus est esse verecundulus. Haec joco; nam scheda in universum foedanda erat. Pelicano, posteaquam salutaveris, refer, orsum nos esse Hebraicas literas. Dii boni quam illepidum ac triste studium, nec tamen desistam donec ad aliquam frugem penetrem. Iterum vale. Ex Tiguro. M. DXXII. XXV die Martii

Huldr. Zuinglius tuus.

Adresse: Beato Rhenano amico carissimo,
gen Basel zum Saessel.

18.

1522. 30. Juli.

S.

Convenit nos, doctissime Rhenane, *Schurerius* ille vester, imo noster, sub ipsum crepusculum, quo illucescente rursum abiturus erat. Nolim igitur committere, ut sine conditionis nostrae tessera veniret ad te; ita enim de te persuasi sumus, ut nunquam non gratum facturi simus tibi, quoties indicamus, quid apud nos agatur. Primum itaque omnium scias, Franciscanum quendam e Gallia, Franciscum nomine, retroactis non adeo multis diebus apud nos Tiguri fuisse ac de adoratione divorum, eorum denique pro nobis intercessione in scripturis mecum multa contulisse, nusquam tamen opitulante scriptura convincere potuisse, ut divi pro nobis orent, id quod multo fastu facturum jactaverat. Tandem Basileam concessit, ubi longe aliter totam rem narrat, imo mentitur, atque acta est. Quamobrem tibi ista placuit significare, ne Cumanum Leonem ignorares, si forte fortuna aliquando ad te diverterit. Subsecutum est intra sex dies aliud cum nostris fratribus certamen;

hi sunt praedicatores Augustinenses Minores. Postremo indixit illis Consul et senatores tres, quibus id munus mandatum erat, ut relictis Thomabus, Scotis reliquisque id farinae doctoribus, unis sacris literis nitantur, quae scilicet intra biblia contineantur. Hoc beluas istas tam male habet, ut unus frater, pater lector ordinis praedicatorum, a nobis solverit, nobis non secus flentibus, ac si morosa ac dives noverca vita excesserit. Non desunt interea tamen, qui nihil non minentur, sed advertet Dominus mala inimicis suis. Putamus, te *supplicationem* vidisse, quam aliquot nostrum ad Episcopum Constantiensem dedimus²⁰). Bozhemius supra quam mihi de eo polliceri ausus essem, rem pro Christo strenue gerit, ex omni parte integer. Sed redeundum est ad *Schurerium* in superius triclinium, ubi cum aliquot potat, miscendumque jocos. Tu interea fac rescribas, ut finita confabulatione verius quam *συμπόσιω* epistolam tuam legam, ut gratia gratiam excipiat. Salvi sint ὁ *Φρύγιος*, *Sapidus*, *Gloterus*, alii. Christus Te nobis incolumem diu servet. Ex Tyguro. 3 Kal. Aug. MDXXII.

Huldr. Zwinglius tuus.

Adresse: Beato Rhenano viro piissimo et doctissimo
Sledstat.

²⁰) Supplicatio quorundam apud Helvetios Evangelistarum ad R. D. Hugonem Episcopum Constantiensem, ne se induci patiatur, ut quicquam in praejudicium Evangelii promulget neve scortationis scandalum ultra ferat, sed presbyteris uxores permittat aut saltem ad eorum nuptias conniveat.